



IOACHAS filius Iehu, regnavit super Israelem in Samaria anno 23. Ioas filij Ochofiæ Regis Iudæ, qui erat annus à mundo condito 3089. ante Christum natum 873. Hic secutus est impietatem Ieroboam filij Nabat, & peccare fecit Israel: quare iratus Dominus tradidit Israelitas in manu Hazael Regis Syriæ, & Ben-adad filij ipsius Hazael. imperavit annos 16. & successit ei Ioas filius eius. Consulito li. 4. Re. ca. 13. item Iosephum li. Antiquitatum 9. cap. 8.

IOAS, filius Ioachas, mortuo patre regnavit super Israelem anno mundi 3105. ante Christum natum 857. Hic impiè egit, nec declinavit ab omnibus peccatis Ieroboam: recuperavit vrbes de manu Ben-adab, filij Hazael, quas iure belli de manu Ioachas patris sui ille abstulerat: & tribus vicibus eum vicit: quin etiam contra Amasiam Regem Iuda pugnavit, quem & cepit, & templum Domini diripuit: reuersus tandem in Samariam, obiit: & sepultus est in Samaria cum regibus Israel. Successit ei filius suus Ieroboam. Vide 4. lib. Reg. 13. & 14. cap. item Iosep. li. Anti. 9. ca. 10. imperavit hic Ioas annos sedecim. fuit & alter Ioas filius Ochofiæ & Athaliæ, de quo à me dictum est supra, pagina ab hinc tertia.